

## PYTHAGOREA.

proprietatibus gaudeat Quaternarius, tum *formalibus*, ut, quod sit prima potestas omnis multitudinis: quod ex binario (prima multitudine) tum addito sibi, tum in se ducto generetur: quod parium & imparium multitudinum radices primas complectatur, ipse nihilominus par, imò pariter par: quod ipsum denarium sui cum prioribus additione constituat, &c. tum *materialibus*, quod præcipuis operibus in natura rerum expressus inveniatur; quas utrasque prolixius prosequitur *Arithmetice Tetractyce Synopsis*; de quibus quidem proprietatibus, quia non omnibus illicò patent, intelligi dicique potest, quod inventæ, quod traditæ, sint à Pythagora: & explicatiùs, quod quaternarius, non quatenus numerus absolutè, sed quatenus certis proprietatibus gaudet, adeoque secundum hæc proprietates à Pythagora suis exhibitus & concreditus sit discipulis. Quoniam autem dictæ proprietates in nudâ suâ Theoria parum scientiæ, parum summi boni nobis propinant, ut quilibet facilè sapit, igitur oportebit, ut practicum aliquod fuerit ex dictis proprietatibus fluens, à Pythagora detectum & erutum, ipsisque discipulis suis traditum, quod immensum subsidium largiatur in scientiis rerum sibi comparandis, (propter quod unicè confluerant ad Pythagoram,) & in actionibus ad rectæ rationis normam tantò dexterius exigendis, ob quod tanto gaudio sint affecti, quodque tantâ veneratione coluerint, ut in juramenti religionem hoc inventum, tanquam summæ certitudinis & scientiæ specimen universalissimum (particulare namque, si fuisset, illud aliquot boum matatione tantùm, ut inventam ab eodem Hypotennusæ potentiam, prosecuti fuissent,) adsciverint, eoque naturam tale subsidium ipsis largientem maximè; Doctorem verò suum, id è naturæ penetralibus eruentem ipsisque tradentem, consequen-

b

quen-